



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quotuplex est Beneficium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

2. *Auctoritate Ecclesie* hoc est, Papæ, vel Episcopi: nam ad eos solos pertinet Officia spiritualia instituire, eisque proventus annectere. Hinc Capellanæ non collativæ, sed à privatis, licet in perpetuum dotatae pro Missarum celebratione non sunt Beneficia.

3. *Ex bonis Ecclesiasticis*, id est, Ecclesie ad Dei cultum donatis, ex quibus erecta sunt Beneficia, & ex quibus soli fructus cedunt Beneficiariis; non autem fundus, qui semper remanet Ecclesie, ejus bona immobilia alienari non possunt sine justa causa, & licentia Papæ, alioqui alienatio ipso jure irrita est.

4. *Propter Officium spirituale*. hoc est, ad functiones, seu actiones aliquas spirituales obeundas, quales sunt recitare Horas Canonicas, facere Sacrum, administrare Sacramenta, prædicare Verbum Dei, &c. Nam Beneficium propter officium institutum est, & ad aliquam functionem spirituales obligat, ex Trid. Sess. 21. cap. 3. & cap. ult. de rescrip. in 6. Ibi: *Officium propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur.*

Q. 2. *Quotuplex est Beneficium?*

Resp. Dividitur. 1. In Beneficium Sæculare, quod Clericis Sæcularibus; & in Regulare, quod Regularibus addictum est, & conferri debet.

2. In

2. In simplex, & duplex. Simplex est illud, quod nullam habet annexam curam animarum, jurisdictionem, præminentiam, dignitatem, administrationem, sed solum obligationem recitandi Officium Divinum, & Missas celebrandi; ut Capellania, simplex Canonicatus, item Præstimonium, quod est portio ex Ecclesiasticis proventibus detracta, quæ adolescentibus studiorum causâ confertur in titulum perpetuum, habetque annexum Officium spirituale. Duplex est illud, quod annexam habet curam animarum, vel jurisdictionem in foro externo, vel præminentiam, vel administrationem Ecclesiasticam, ut Episcopatus, Parochiale Beneficium, Abbatia, Præpositura, Cantoria, &c.

3. In manuale, quod potest ad collatoris nutum auferri, ideòque deficit à proprietate Beneficii defectu perpetuitatis; & in non manuale, quod adimi nequit, nisi ob crimen, vel irregularitatem.

4. In collativum, quod confertur per voluntatem absolutam, ac liberam Prælati; in Patronatum, quod confertur à Prælato ad præsentationem, vel nominationem factam per Patronum; & electivum, quod per suffragia electorum accedente postea confirmatione confertur.

5. In titolare, quod scilicet ad vitam, & cum plenitudine juris confertur; & in Commendatum, quod solius administratio-

nis, aut custodiæ causâ datur. Quod si detur in vitam commendatarii, tunc omnia ferè jura ei competunt, quæ titularibus. Unde Commenda perpetua æquivallet Beneficio in titulum dato.

In incompatibilia, & compatiblea: incompatibilia sunt ea, quæ annexam habent curam animarum, vel quæ personalem residentiam postulant, ut sunt duo Episcopatus, duo curata Beneficia, duæ dignitates, &c. Vel quæ in eadem Ecclesia instituta sunt ad eundem finem, habentque idem onus, ac Officium eodem tempore perfolvendum; qualia sunt duo Beneficia uniformia sub eodem tecto, ut duo Canonici in eadem Ecclesia. Compatiblea verò sunt ea, quæ personalem residentiam non exigunt, nec idem onus, ac Officium eodem tempore perfolvendum.

Q. 3. *Quot modis acquirantur Beneficia?*

Resp. I. Regula Juris in 6. sic habet: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite (subintellige etiam valide) sine institutione canonica obtineri.* Institutionis autem Canonice diversi sunt modi, nempe sex, quibus Beneficia acquiruntur, nimirum
 1. Collatione libera, 2. Præsentatione, & subsequa institutione. 3. Electione, & subsequa confirmatione. 4. Postulatione, & subsequa